



Joh. Chr. Stenber

11/20, 1908

Cathartes, per 2000 ft  
Santiago, Peru, Mexico p9  
Colombia, Ecuador p100

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
PHILOSOPHICA  
*DE*  
**AMPHISCIIS**

*QVAM*  
JESV CHRISTI SALVATORIS NVMINE  
ADSPIRANTE OPEM VIRESQUE  
AVTORITATE ATQVE DECRETO  
*AMPLISSIMI*  
**SENATVS PHILOSOPHICI**  
*IN*  
CELEBERRIMA NORIMBERGENSIVM VNIVERSITATE  
ALTDORFFINA  
PRÆSIDE  
VIRO PRÆNOBILISSIMO AMPLISSIMO  
*ATQVE EXCELLENTISSIMO*  
**DN. JOH. CHRISTOPHORO**  
STVRMIO

PHILOSOPH. MAG. PHYS. ET MATHEM.  
PROF. PVBL. VNDIQAQUE FAMIGERATISSIMO  
AC BENEFICIARIORVM NORICORVM INSPECTORE  
LONGE GRAVISSIMO  
*DOMINO PATRONO PRÆCEPTORE ET STUDIO-*  
*RVM SVORVM PROMOTORE SVBMISSA ANIMI VENERATIONE*  
*COLENDO*

LAVREAM IMPETRATVRVS MAGISTERIALEM  
PRIVILEGIAQUE PHILOSOPHICA  
*AD D. XVI. MAI M. DC. XCIX.*

IN AUDITORIO THEOLOGORVM  
*SOLENNI ERUDITORVM CALCULO SVBMITTET*  
**JOH. CHRISTOPHORVS STEMLERV**  
NEOSTADIENSIS AD ORLAM VARISCVS.

---

LITERIS HENRICI MEYERI VNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

СІЛІОГІА  
СІЛІОГІА

СІЛІОГІА СІЛІОГІА СІЛІОГІА  
СІЛІОГІА СІЛІОГІА СІЛІОГІА

СІЛІОГІА СІЛІОГІА СІЛІОГІА  
СІЛІОГІА СІЛІОГІА СІЛІОГІА

СІЛІОГІА СІЛІОГІА СІЛІОГІА  
СІЛІОГІА СІЛІОГІА СІЛІОГІА

СІЛІОГІА СІЛІОГІА СІЛІОГІА  
СІЛІОГІА СІЛІОГІА СІЛІОГІА

СІЛІОГІА СІЛІОГІА СІЛІОГІА  
СІЛІОГІА СІЛІОГІА СІЛІОГІА

СІЛІОГІА СІЛІОГІА СІЛІОГІА  
СІЛІОГІА СІЛІОГІА СІЛІОГІА

( 3. )

IN CHRISTI SALVATORIS NOMINE  
VENERANDO.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
IN AVGVRALIS.

*De*

AMPHISCIIS.

§. 1.

**E**x motu Solis circa terram annuo, indeq; provenientibus in terra variis effectibus & proprietatibus, sive similibus sive dissimilibus respectu harum aut illarum inter se orbis habitati partium, natæ sunt Geographis variae terricolarum, earumque, quas incolunt, terrarum distinctio-nes, utilitatem haut exiguum in cognoscendo ac dime-  
tiendo hoc orbe habitabili habentes.

*Hl.* Ac primò quidem, ratione graduum caloris & fri-  
goris, in terris diversis ex accessu vel recessu annuo solis variantium, universa globi terrestris superficies divisa fuit in quinq; aut sex zonas latissimas, quarum prima, inter utrumque polum media, omnium maxima, complectitur tractum terrarum 360 gradus h. e. 5400 millia-  
ria germanica ab occasu in ortum exorrectum, & 47.  
gradus h. e. 705. millaria latum, supra quem anno toto  
sol ultrò citroque, nunc ascendendo versus septentrio-  
nem, nunc descendendo in austrum, movetur, habitato-  
rum verticibus successivè circa meridiem ad perpendi-  
culum

culum imminens. Unde notabilis in his terris æstus, non sine causa præsumptus, *Zona torrida* nomen ipsi peperit, quam veteres penitus inhabitabilem credebant, magno certè, quem experientia detexit, errore.

*III.* Mediæ huic zonæ, (utriq; Circulo Tropico interiacenti, ab Äquatore medio in duas partes æquales divisiæ, quarum altera versus Tropicum Cancri *Zona torrida septentrionalis*; altera versus Tropicum Capricorni *Zona torrida australis* appellari commode potest:) opponuntur duæ extremæ, circa utrumq; polum latitudine  $23\frac{1}{2}$  gr. sive  $352\frac{1}{2}$  milliarium circumjectæ, latitudine, inquam, à polo tanquam centro ad peripheriam usq; mensurata: nam quoad totam diametrum eandem habet cum totâ torridâ latitudinem, nimirum 705. milliarium. Hæ, quia à vertice suo solem, per totum annum habent distantiissimum, primùm ab effectu conjectato, & posteà, subsecente experientiâ magnam partem confirmato, *Frigida* fuerunt appellatae, altera quidem *Septentrionalis*, altera *Australis*.

*IV.* Inter torridas & frigidas ex utrâq; parte interjectæ zonæ, latitudine 43. gradûs h. e. 645. mill. German. complectentes, *Temperata* dicebantur, quoniam non solùm judice ratione, sed etiam teste experienciâ, propter solem, ipsorum vertices nunquam prorsus attingentem, & gelu tamen etiam tolerabilis, ob eundem, à dictis verticibus nunquam tam longè, quàm à frigidis recedentem, minorem æstum, quam torridæ, pati præsumebantur.

*V.* Secundò, ratione longitudinis dierum, propter eundem solis accessum & recessum reciprocum, variantis, eadem terræ superficies divisa quondam fuit in *Climata* & *Parallelos* quorum illa spatia terræ inæqualis latitudinis comprehendebant, quorum extremitates differabant quoad dies longissimos horâ dimidiâ; hi vero  
spatia

spatia priorum ferè dimidia, in quorum una extremitate dies longissimus uno horæ quadrante major, in altera minor erat. Hæc verò spatia, ab Aequatore versus Septentrionem & Austrum gradatim, & tandem nimis gracilescientia, cùm terrarum dimensionibus minus apta judicarentur à recentioribus, substituerunt istis hi *Parallelos* novos, ejusdem latitudinis, æquali graduum decem incremento ab Aequatore ad utrumq; polum procedentes.

*Vl.* Tertiò, harum zonarum climatum & parallelorum habitatores & incolas, pro similitudine & dissimilitudine affectionum & passionum ab eodem solis motu annuo ipsis accendentium, variè denominabant Geographi, ad obtainendam distinctiorem vastissimæ convexitatis terræ, tanquam communis hominum habitaculi, notitiam. Qui enim sub eodem Climate, aut specialius sub eodem spatio parallelo, vel specialissimè, sub eodem circulo parallelo habitant, *Periaci*, *Circumhabitatores* quasi & circumcolæ ipsis audiebant, & pressius adhuc, qui sub ejusdem circuli punctis è diametro oppositis degunt, id nominis ferebant: Econtrà verò, qui sub oppositis, intuitu Aequatoris, climatis vel parallelis vel circulis in Austrum & Boream æquè distantibus, aut specialissimè sub oppositorum parallelorum aut circulorum punctis communi meridiano gaudentibus habitant, *Antaci* vel *Anticola* dicebantur. Qui denique sub oppositorum parallelorum punctis diametraliter oppositis locantur *Antoeci*, h. e. ejusdem Meridiani integri semicirculis oppositis subjecti, *Antipodes* & *Antichthones* appellabantur.

*VII.* Quartò tandem, ratione umbrarum meridianarum, terricolæ in *Amphisciis*, *Heterosciis*, *Perisciis* & *Afcis* dispescebantur. Et *Heterisci*: quidem, seu mavis, *Alterutrumbras*, dicebantur illi, quorum corpora sub sole

meridianō, vel in ipso meridie, umbras suas toto anno, aut semper in Austrum aut semper & constanter in Septentrionem projiciunt: *Amphisciis*, quasi *Utrinquumbres* (ceu §. IX. videbimus) contrā audiebant, quorum umbræ certo anni tempore in Austrum, alio in Boream exporriguntur: *Ascii* porrò, vel *Inumbres*, quorum umbræ meridianæ nec in Austrum nec in Septentrionem protenduntur, sed intra ipsa corpora quasi absorben-  
tur, & intra pedum tantummodò intercapedes sunt conspicuae. *Periscii* denique sive *Circumumbres*, qui, circa utrumque polum habitantes, certo anni tempore per plures dies, hebdomas, mensesque, solem, nec Orientem nec Occidentem, neque adeò, propriè loquendō, meridianum habent, umbras suas cum sole, ipsos per totum illud tempus circulariter ambiente, in orbem quoque, & in partem quidem isti semper oppositam, circumvehere solent.

*VIII.* De his omnibus & singulis multa porrò dici, problemata varia, jucunda pariter ac utilia, circa diver-  
fas illas habitatorum terræ distinctiones, ope Globi ter-  
restris artificialis, exhiberi, atque ex Geographis, præser-  
tim recentioribus, ut Cluverio, Varenio, aliisque quam-  
plurimis ~~etiam invenientur~~ non pœnitenda tradi possent. At  
enim verò, quoniam brevitati, multis de causis mihi stu-  
dendum est, impræsentiarum, loco Speciminis Inaugura-  
lis, quod jussu Venerandæ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,  
pro acquirendis SVMMIS in PHILOSOPHIA HONORIBVS eden-  
dum est, de SolisAMPHISCIIS præcipue & separatim age-  
re, ac, quæ sint ipsorum conditiones & proprietates, quæq;  
à cæteris differentiæ, theoreticè primùm declarare: de-  
inde verò, quinam populi in terris hoc nomen merean-  
tur; quo anni tempore umbrarum suarum mutationes  
suebant; quāndiu in istis subsistant, quid intra inter-  
jecta

jecta mutationibus istis brevia temporis intervalla ipsis  
contingat, breviter, problematicè & practice, Divino  
stipatus auxilio, definire constitui.

*IX.* Ac primò quidem, quod *Amphisciorum* nomen  
& appellationem attinet, illos à Nom. Substant. Græco  
Σκια, h. e. *umbra*, & præpos. Αμφι, quæ communī quidem  
usu extra compositionem *circum*, *circa*, *undiq.* significat,  
in compositione verò paulò strictius sæpiissimè, & hoc  
præcipue loco, Latinorum *utring*, exprimit: ut adeo  
Αμφισσιον. hic non is dicatur, cuius umbræ undiquaque  
in orbem projiciuntur (hoc enim, voce Περισσιον. in-  
nuere voluerunt Geographi) sed ille potius, cuius um-  
bræ in utramque partem, vel in oppositas plagas suc-  
cessivè, uno inimirum tempore in Austrum, alio in op-  
positum Septentrionem, projiciuntur.

*X.* Cùm igitur, uti dictum, ab umbris cognominen-  
tur *Amphisciis*, atque adeò in singulis ferè hujus tractatio-  
nis paginis subinde umbræ injiciatur mentio; non peni-  
tus, credo, abs re erit, pauca quædam de umbræ natura  
& conditione, priusquam ad rem ipsam moveamus  
pedem, præmittere. Est autem *umbra*, prout vulgò de-  
scribitur, nihil aliud, quam *privatio luci* ab opacitate vel  
densitate corporis, luminis transitum impeditus, proveniens;  
Aut accuratiùs: *Umbra* est pars aëris aetherisve vel alius cor-  
poris pellucidi à tergo corporis opaci lumine cassa, in terra vel aliâ  
illuminata superficie tantum, ob viciniam illustratarum par-  
tium, conspicua, que semper in partem lumenoso corpori opposi-  
tam projectitur, prout eam definit EXCELLENTISSIMVS DN.  
PRÆSES, Patronus & Praeceptor meus ad urnam uq; devene-  
randus, in Mathei Compendiariâ Tyrocin. Optic. Tab. I. part.  
prim. Propof. VIII. p. m. 28. b. Quantam umbra, et si non ens  
& privatio, passim præstet utilitatem, vel exemplo Thale-  
tis, Pyramides umbrarum projectione emensi; nec non  
opifi-

opificum quorundam , arbores & ædificia , altitudine conspicua , ex umbris metientium ; itemque Astronomorum , eclipsium causas à lunæ terræque umbris petentium &c. cuilibet , vel me tacente , constare poterit : nec opus est latius per hoc argumentum evagari , quandoquidem , quod præsens hoc attinet institutum , his ipsis quoque supersedere potuisse , cùm vulgaris umbræ notio , quâ luminis in terræ superficie conspicuam immisionem , ab interpositione corporis alicujus opaci oriundam dicit , præsenti negotio sufficiat .

*XI.* Evidem , si de quibusq; umbris res intelligentur , hoc non *Amphisciū* ita speciatim dictis proprium , sed omnibus terraे habitatoribus commune foret ; quandoquidem & nobis *Heterosciū* id obtingit , ut , oriente sole , corpora nostra umbras suas vel præcisè in occidentalem plagam , & , occidente eodem , in orientalem (uti tempore Æquinoctiorum contingit ) vel summo mane , in plagam , inter occasum & austrum circiter medium (Sud - West) æstivo tempore , hyberno autem in plagam Boreæ Zephyroque interjectam (Nord - West) labente contra sole , in plagas prioribus oppositas , projiciant ; prout experientia quotidiana nos docet , & ratio Optica postulat : ut nimirum umbra corporis opaci semper excurrat in partes illuminanti è diametro oppositas , adeoque , cùm sol æstate summâ medio ferè inter Boream Eurumque loco (in Nord Ost) oriatur ; hyeme imâ inter Notum Eurumque medio (in Sud - Ost;) corporum nostrorum umbræ cadant ibi versus Sud - West / hic versus Nord - West : occidente verò sole ibi versus Sud - Ost / hic autem versus Nord - Ost &c.

*XII.* Sed enimverò , non hic mihi sermo est de quibuslibet toto die cadentibus umbris , hac enim ratione *Amphisciī* dicendi essent omnes terricolæ , in illo vocis sensu ,

sensu, quo præpositio *A*u*phi* *circum, circa, undiq,* significat: sed de umbris tantum meridianis, h. e. in ipso meridie sive circa horam duodecimam projectis: quo sensu populi quidam in terris reperiuntur, qui circa meridiem, sive hora duodecima suas umbras, unâ anni parte in plagam Australem, alterâ anni parte in Boream constanter projiciunt. Et hi soli, sensu hoc vocis restrictiore, *AMPHISCI* h.e. *Utrinque umbra* dicuntur, quia simile quidam in universa terra reliqua nullibi contingit.

*XIII.* Nam cæteri populi omnes, qui sub uno eodemq; Meridiano sive Meridiani semicirculo habitant, eodem tempore, quo sol motu diurno, ad eundem Meridianum pervenit, umbras suas constanter in unam mundi plagam, alii nempe perpetuò in Boream, alii contrâ perpetuò in austrum, projiciunt, idèque *in pœninsulas* h.e. *Alterutrumbres* tantum audiunt: ne illis quidem exceptis, qui alio respectu *atâxiæ* sive *circumumbres* dicuntur, suosq; dies non horis (unde duodecimam quoque horam numerare non valent) sed hebdomadibus & mensibus nostratis dimitiuntur, (strictè enim loquendô illi nec dies nec hebdomadas nec menses habent;) uti clarius patebit, ubi determinatiùs exposuerimus, quinam illi sint populi, qui *Amphisiorum* strictiorem appellacionem mereantur.

*XIV.* Hi verò generatim dicendo, sunt illi omnes, qui Zonam torridam inhabitant, h.e. intra utrumq; Tropicum degunt, felicitate terrenâ præ cæteris omnibus telluris incolis longe maxima gaudentes ac perfruentes. Nimirum in *America* seu *Novo Orbe*, *Peruvia Mexicanig*, præsertim regni incolæ, qui & olim immensas gazas Hispanis usurpatoribus obtulerunt, & hodienuim auri argentiq; vim ingentem in Hispaniam cæteramq; Europam annuatim emittunt, cum vicinis populis aliis innupmeris

meris in *Castilla aurea*, circa flumen argenteum, & in *Bra-silia*, vasta regione, sachari ubere proventu & pretiosorum lignorum copia celebri, degentibus. In *Africa Guineæ aurea*, Regnorum *Congo* & *Angola*, & ad Orientalia litora jacentium, *Mazambique* & *Quilóa* Regionum, interjectorumq; dictæ Africæ regnum innumerorum, inquilini, è quorum terris ebur, aurum, cinnamomum, aliaq; *Divini* & O. M. Conditoris dona Europæ nostræ advehuntur. In *Asia*, universæ ferè Indiæ Orientalis (ad differentiam Americæ, sive Indiæ Occidentalis ita nominatae) habitatores, omnium mortalium ditissimi, inexhaustis auris, gemmârum, margaritarum, aromatum & fructuum divitiis affluentissimi, vernâq; gratiâ & amoenitate toto anno continuè gaudentes, nisi quod singulæ regiones suum habeant, diversis quidem anni temporibus, mensim hyemalem, i. e. pluvialem, terras per exundantia flumina fœcundantem. Veræ enim hyemis, nostræ similis, nivis nimirum & glaciei sunt ignorantissimi, & ut fabulas, explodunt, quæ ipsis de fluminibus gelu constrictis, pedites non solum sed & equites, ac plaustra magno agmine, imò integrō exercitus, tanquam ponte quodam transmittentibus, ab Europæis, ibi commorantibus, narrantur.

*XV.* Hi omnes ex *Amphisiorum* numero sunt, qui certo anni tempore umbras suās meridianas in Boream, alio tempore in Austrum projiciunt. Quod, ut distinguitur nūnc ac specialius quoque cognoscatur, in tres illi classes veniunt distinguendi. (Nimirum I.) in eos, qui sub ipso Äquatore, medio Zonæ Torridæ Circulo, habitant, v. gr. Regni *Quito* in America Occidentali Incolæ, Guianenses, & qui circa lacum *Parime* degunt: Extra Americam, Insulæ S. Thomæ inquilini, non adeò longè à litoribus occidentalibus Africæ: In ipsa Africa, ab Oc-

ciden-

cidente quidem Loanghi regionis in Regno Congo incolæ, ab Oriente verò Zanguebari Borealia incolentes : Inter Africam & Indianam Orientalem Insulani quidam ex Maldivarum habitatoribus : In India ipsa, Sumatranæ, Borneanæ, Celebes, & Gilolo Insularum Cultores &c. II.) In illos, qui sub utroque Tropico degunt, e.g. sub Tropico cancri ; Amphisiiorum nomen subeunt Californiæ austalissimi , Regni Mexicanæ populi circiter medii, Cubæ Insulæ septentrionaliores : In Africa, Deserti Zara, & Ægypti australiores quidam inquilini ; inter mare rubrum & Sinum Persicum Arabes bene multi ; In India, Magno Mogoli subjecti plurimi, Regnorumq; Bengalensis & Siamensis subditi, tandemq; Sinenses australissimi &c. Sub altero autem Capricorni Tropico Peruvia Brasiliæq; australissima inhabitantes, in Africâ Caffares quidam (quos Germani die Hottendorf ten appellant) tum Occidentales, tum Orientales, cum interjectis Imperio de Monomotapa plurimis ; nec non Madagascar Insulæ meridionales, novæq; Hollandiæ sub India quidam habitatores, nondum nobis satis cogniti. III.) Denique in illos, qui vel ex parte Zonæ Torridæ Septentrionalis inter Æquatorem & Tropicum Cancri, vel ex parte australi, inter Æquatorem & Tropicum Capricorni degunt, populi utrinque innumera-biles.

XVI. Scilicet, ut de singulis classibus specialiora nunc in medium afferamus, illi, qui sub ipso Æquatore cœlesti habitant, post ingressum solis in signum Libræ, & quamdiu hic in sequentibus signis, Scorpii, Sagittarii, Capricorni, Aquarii, Pisciumq; vagatur, umbras suas meridianas perpetuò in septentrionem projiciunt : ubi verò, lineam sive Æquatorem terrestrem supergressus, per Arietis, Tauri, Geminorum, Cancri, Leonis & Virgi-

nis signa incedit, tunc eorundem subæquatorealium populorum umbræ meridianæ, in contraria versæ, toto ferè semestri altero in Austrum perpetuò & constanter exporriguntur, ob rationes opticas, utrinque evidentissimas. Nam, quia post ingressum solis in signa australia, is ipse quoque populis §. præced. 13. & 14. memoratis, fit magis magisq; australior usque ad Capricorni signum, post ingressum verò ejusdem in signa septentrionalia, gradatim quoque fit septentrionalior usque ad signum Cancri; inde verò è Capricorni signo australissimo in septentrionem quidem sensim iterum inclinat, interea verò, donec Äquatorem attingat, australior adhuc semper manet, & hinc similiter è cancri signo borealißimo in austrum quidem paulatim declinat, semper tamen adhuc septentrionalis; ideoque necessum est, in casu priore corporum sub ipso Äquatore erectorum umbras meridianas in septentrionem perpetim, in casu posteriore perpetuò in austrum extendi.

*XVII.* Interim, hi ipsimet Amphisci, iis diebus, quibus sol in principio Arietis, vel proximè istud, conficit, motuque diurno circa terram supra Äquatorem revolvitur, (id quod annis singulis diebus Martii IX. X. & XI. fit) vel: cum æstate finita ad eundem Äquatorem, in australia signa trajecturus, regreditur, (id quod anno quovis mensis Septembr. die præter propter 11.12.13. contingit) his, inquam, diebus, hi Amphisci fiunt Ascii, quoniam horā duodecimā, medioque adeò die, solem in suo Zenith positum, sive capitis vertici imminentem habent; umbrasque adeo corporum suorum, nec in ortum magis quam in occasum, nec in boream quam in austrum exorrectas, sub eorum amplitudinem quasi abscondunt & intra pedum ambitum occultant.

*XVIII.* Post-

*XVIII.* Posteaquam verò Sol , versus Arietis aut Libræ interiora progressus , deinceps umbras corporum meridianas , ibi in septentrionem , hic in Austrum pretendere incipit ; tunc umbræ distæ meridianæ , quotidiana capiunt , ac indies majora , incrementa , donec ad utrumque solstitium delatus , & sic à corporum erectorum verticibus longissimè remotus , umbras etiam in meridie longissimas efficiat , deinceps autem ad eosdem vertices proprius semper accedens , easdem quotidie magis magisque abbreviaturus , & *Amphisciis* hactenus alterà quoque vice *Astris* redditurus.

*XIX.* Illi verò , qui sub utroq; Tropico commorantur , toto illo tempore , quo sol à Tropicô Cancri ad Tropicum Capricorni descendit , indeq; rursum ad Tropicum Cancri ascendit , h. e. anno toto , umbras suas meridianas in eamdem plagam projiciunt , æquè ac omnes subsequentium Zonarum , tum temperatæ tum frigidæ , inquilini ; nimis qui sub Tropico Cancri vivunt , cum omnibus Zonæ temperatæ septentrionalis , incolis , constanter in septentrionem ; Illi verò , qui sub Tropicô Capricorni habitant , cum omnibus Zonæ temperatæ , frigidæq; habitatoribus , perpetuò in austrum , umbras suas meridianas projectas servant . Ut proinde ~~enepotio~~ omnes dici , & incolis Zonæ Torridæ contradistingui mereantur , utpote qui soli Amphisci flunt ; quia videlicet Sol mótu secundo vel annuo intra duos Tropicos perpetuò commoratus , primis illis populis nunquam septentrionalior , secundis nunquam australior fit , adeoque istorum umbræ meridianæ necessariò in septentrionem , illæ autem horum semper in Austrum exporriguntur : dum econtra Tertiis uno tempore (uti mox distinctius audiemus ) australior , alio septentrionalior , necessariò quoque nunc versus austrum , nunc versus boream umbras suas extendere facit .

*XX.* Est tamen haec notabilis adhuc inter omnes utrinque heteroscios differentia, quod illi soli, qui sub ipsis Tropicis habitant, semel in anno fiunt *atrum h. e. in umbres* seu mavis, umbris meridianis extorsum exorrectis destituti, cæteri vero nunquam his destituantur. Nimirum, cum sol tempore solstitii æstivi sub ipso Tropico Cancri diurno motu incedat; adeoq; singulis populis sub isto degentibus, ubi ad eorum Meridianos pervenerit, verticalis fiat; atque capitibus ipsorum perpendiculariter immineat (id quod fit mensis Junii duodecimo & sensibiliter proximis utrinq; diebus) idè tum temporis hos umbris meridianis carere, *Asciosq;* fieri necessum est: dum illi, qui à Tropico Cancri magis in septentrionem collocati sunt solem, intra Tropicoshærentem, verticalem habere, asciiq; ob eam causam fieri nunquam possunt, sed umbras suas circa meridiem in septentrionem projiciunt tantò longiores, quanto à Tropico longius in Boream removentur. Similiter illi, qui sub Capricorni Tropico habitant, in ipso solsticio hyberno (quod contingit nostri Decembr. circiter duodecimo die) solem habent per vertices suos incedentem, eoque momento, quo is verticem cujusq; attingit, umbram nullam projiciunt; dum illi, qui à Tropico Capricorni magis in austrum distantes, solem Tropici quippe limites nunquam prorsus excedentem, verticalem habere, adeoque *ascii* fieri non possunt, sed umbras suas circa meridiem in austrum exorriguntè longiores, quanto à Tropico, versus austrum, sunt remotiores.

*XXI.* Hinc, quemadmodum *Ascios*, distinguimus, in *Ascios Amphiscios* & *Ascios heteroscios*, ita vicissim *Heteroscios* quoq; distinguere possemus in *Heteroscios Ascios*, & *Heteroscios* nunquam *Ascios*. Atq; nunc demum rectè intelligere poterimus, cur Lucanus Arabes quondam æstivo tempore ex Zona Torrida (nempe ex Arabia meridionaliore)

re) ultra Tropicum Cancri in Zonam temperatam, (nimis  
rum in Italiam, ut Pompejo suppetias ferrent,) progres-  
sus, L. III. Pharsal. v. 247. & 248. sic allocutus sit :

*Igenotum vobis, Arabes, venistis in orbem,  
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.*

Scilicet, uti philosophorum & Geographorum filii dex-  
tram mundi partem in oriente ponunt, vel: quia ab illa  
motus siderum diurnus incipit; vel: quia, descripturi  
orbem habitatum, boreales hujus partes, utpote sibi ab  
antiquo notiores, maximè respiciunt; Astronomi vero  
nostrates, Planetas, ac Zodiaci sidera præcipue contem-  
plantes, in austrum se convertunt & sic occidentem à  
dextris habent: Ita Poëtæ dexteræ dignitatem plagæ se-  
ptentrionali, tanquam nobiliori, stellarumque multitu-  
dine & habitatorum civiliorum atque doctiorum nume-  
ro magis conspicuæ, detulerunt; ex quo necessariò con-  
sequebatur, Australi plagæ sinistram ab ipsis attribui.  
Hinc dicit Lucanus, Arabes memoratos, qui paulò ante  
in patria sua corporum suorum umbras circa meri-  
dem observaverant, solito circa solstitia æstiva more in  
austrum, h. e. in partes mundi sinistras fuisse protensa,  
miratos fuisse, cum in Italiam pervenissent, illas corpo-  
rum nemorumq; umbras non in sinistras, sive in austrum,  
sed in dextram, sive in septentrionem fuisse conversas.

XII. Tandem reliqui, Zonæ torridæ utriusque,  
populi, neque sub ipso Äquatore, nec sub alterutro  
Tropico degentes, sed inter hos atque Äquatorem latè  
dispersi, & vel huic vel istorum alterutri propiores, vel  
etiam inter Tropicum Cancri & Äquatorem, aut in-  
ter Tropicum Capricorni & Äquatorem præcisè me-  
dii Amphiscii sunt omnes, ac diversis anni temporibus  
*Asci* fiunt, ita quidem, ut diversa circa hos proponi re-  
solviique possint Problemata. Et Primò quidem; *Qui-*  
*nam*

nam ex istis populis dito tempore Ascii fiant, & consequenter, cum paucis ante diebus umbras suas meridianas in austrum exporrexissent, paucis diebus post eas in septentrionem pretendere occipient? Secundo, quonam anni tempore datus aliquis in Zona Torrida populus, ascensus fiat, & mutationem umbra meridiana actu subeat?

*XXIII.* Ut à posteriore Problematum genere initium faciamus, de populis subæquatore alibus jam supra §. XVI. ostensum ivi, illos bis in anno fieri ascios, nimirum iis diebus, quibus Sol in principium Arietis ex piscium signo ingreditur (id quod fit d. 9. vel 10. Martii) & è signo virginis in Libræ gradum primum descendit (id quod d. 12. Septembribus præterpropter fit) Et in priore quidem casu, post diem 9. ac decimum Martii illi populi incipiunt umbras suas meridianas in austrum convertere, posteaque toto anni dimidio istuc conversas servare. In posteriore verò casu post diem Septemb. 12. incipiunt umbras suas meridianas (quas totò præcedente semestri in austrum constanter conversas habuerant) in septentrionem iterum pretendere, & sic protensas altero semestri perpetuò servare. De populis autem sub utroque Tropico degentibus supra paulò §. nimirum XIX. demonstratum est, illos quidem, qui Tropicum Cancri terrestrem incolunt, circa 12. Junii, alteros autem, qui Tropicum Capricorni inhabitant, circa 12. Decembr. Ascios fieri, meridianarum verò umbrarum mutationem, ratione sitù nullam planè subire.

*XXIV.* Quodsi verò Quæstio instituatur, e. g. de populis sub latitudine seu distantia ab æquatore Septentrionali 10. grad. (quales sunt Cartagenæ in Castilia aurea Americæ, in Guinea aurea & Cambojæ Indiæ Orientalis &c.) quonam animi tempore fiant Ascii, & consequenter umbrarum meridianarum positum mutent, cum

cum illi latitudini respondeat in cœlis declinatio septentrionalis totidem graduum (quod enim in terra latitudo, in cœlis declinatio appellatur) & huic, in ascensu versus Tropicum Cancri, grad. 26. v. In descensu vero versus Äquatorem gradus quartus Virginis; quorum illum sol d. 6. April. hunc d. 17. Augusti ingreditur; his ipsis diebus omnes illi suprà recensiti populi fiunt Ascii, proximis autem post diebus umbras meridianas mutant & invertunt, ut à d. 6. Aprilis, usque ad d. 17. Augusti exclusivè per dies 130. eas australes, reliquo verò tempore in septentrionem conversas per dies 232. quamproximè habeant.

**XXV.** Similiter, si quæstio sit de populis 10. gradibus ab æquatore in austrum remotis (quales sunt exempl. gr. Novæ Guineæ australiora inhabitantes, Insulæ Isabellæ inquilini in mari pacifico, Regni Cusco in Peru-via, mediæq; fere Brasiliæ incolæ in America meridionali, Regni Angola & regionis Zanguebar meditullium incolentes, in Africâ, &c.) cum horum latitudini in terrâ respondeat declinatio australis totidem graduum & huic in descensu versus Tropicum Capricorni, gradus Libræ 26. in Ascensu verò versus Äquatorem, quartus gradus piscium, quorum illum sol ingreditur d. 9. Octobris, hunc d. 12. Febr. circiter; his diebus omnes illi superius enarrati populi fiunt ascii, proximis autem post diebus umbras meridianas mutant & in contraria vertunt, ita, ut à nono Octob. usque ad 12. Febr. exclusivè eas in septentrionem directas per dies 124. habeant, cum reliquo tempore, per dies 238. fere, eas in austrum protensas habuissent.

**XXVI.** Quodsi nunc quæstio moveretur de populis utriusque Tropico propioribus, e. gr. iis qui sub latitudine vel distantiâ ab Äquatore septentrionali 20. degunt

(qualem habet ipsa urbs Mexico in America, partesque borealiores Hispaniolæ; In Africa Garamantum regio ferè media, & Chelonides paludes supra regnum Borno, pars Arabiæ paulo infra Meccam; in India Regnum Orixa, Pegu &c.) cùm illi latitudini respondeat in cœlis declinatio totidem graduum, & huic in ascensu versus Tropicum Cancri 29. grad. Tauri, in descensu verò versus Aequatorem primus grad. Leonis, quorum illum sol d. 10. Maj. hunc d. 14. Jul. circiter ingreditur; his ipsis diebus omnia illa loca antè memorata, cum infinitis aliis sub eodem parallelo jacentibus, fiunt ascia, proximis autem post diebus umbras meridianas mutant, ita quidem ut à d. 10. Maji usque ad d. 14. Julii per dies 63. præter propter umbras australes, reliquo autem tempore toto, 300. circiter dierum, in septentrionem conversas habeant.

*XXVII.* Similis ratione, si zetema de terricolis Tropico Capricorni vicinioribus esset, e. g. de illis, qui 20. grad. ab Aequatore in austrum remoti sunt, (quales essent in mari pacifico insularum infortunatarum, si qui sint, incolæ, Peruviani australissimi, Brasilienses circa flumen, quod à Spiritu S. nomen habet; Regni Monomotapæ in Africa, & Insulæ Madagascarii inquilini fœmè medij &c.) cùm horum latitudini in terris, respondeat in cœlo declinatio australis totidem graduum, & huic in descensu versus capricornum locus solis 29. grad. Scorpii, in ascensu verò versus Aequatorem primus gradus Aquarii, quorum illum sol d. 11. Nov. hunc d. 10. Januarii præter propter ingreditur; his ipsis diebus omnes illi terricolæ quos nominavimus, cum innumeris aliis sub eodem parallelo jacentibus, fiunt ascii, proximis autem post diebus, umbras meridianas in contraria vertunt, ita, ut ab 11. Novemb. usque ad 10. Januar. exclusivè, eas in

in septentrionem habeant directas, cum reliquo tempore plusquam 300. dierum eisdem in austrum perpetuo exporrexissent, & quotannis eodem temporis intervallō exporrigant.

**XXVIII.** Apparet autem ex deductis, quemadmodum Amphisci subæquatoreales sex ferè menses umbras suas meridianas in austrum, ac totidem ferè menses in septentrionem conversas habent, paucis vero diebus ante quamlibet umbrarum immutationem, adeoque bis in anno, nimirum circa æquinoctia, Ascii fiunt: Ita reliquos etiam Amphiscios ab æquatore in austrum vel boream distantiores, bis quoque ascios fieri, sed vel propriis æquinoctiis, aut propriis solsticiis, quantò aut æquatori aut Tropicis propiores sunt, quodque hi posteriores tantò paucioribus diebus umbras suas meridianas in septentrionem conversas habeant, quantò ipsi sunt australiores, ac vicissim, tantò paucioribus in austrum, quantò ipsi sunt septentrionaliores; donec tandem, qui Tropicum v. g. cancri ipsum attingunt, nunquam umbras meridianas australes, &, qui Tropicum Capricorni, nunquam septentrionales habeant.

**XXIX.** Superest, ut, etiam problematum §. XXI. propositorum genus expediamus, cum scilicet dato quocunque anni die quæritur, quinam populi in terra tum ascii sint, & proximis post diebus, umbras meridianas in oppositas priori plagas projicere sensibiliter incipiunt? Quemadmodum igitur, si dati essent ipsi æquinoctiorum dies, nonus nempe aut decimus Martii, vel duodecimus aut decimus tertius Septembri, his utrisque respondent terricolæ sub ipso æquatore degentes, qui utroque illō tempore ascii fiunt, soleisque per vertices suos incidentem habent, sequentibus autem decimum Martii diebus, umbras suas meridianas in austrum

converttere incipiunt, quas toto semestri præcedente in septentrionem exorrectas habuerant, posterioribus autem decimo septimo Septembris diebus easdem umbras, quas toto præcedente semestri in austrum conversas habuerant, in septentrionem pretendere incipiunt; protus hæc ex §. XVI. præcipue jam certa sunt: Sic ex adverso, si dati essent dies solstitiorum, undecimus nempe vel duodecimus Junii, aut duodecimus vel decimus tertius circiter Decembr. horum alteris respondent populi Tropico Cancri in Cœlo subjecti, alteris Tropico Capricorni suppositi; qui prædictis diebus ascii quidem fiunt, sequentibus autem æquè ac antecedentibus diebus in easdem mundi plagas, umbras suas meridianas conversas servant, illi quidem in boream, hi in Austrum, absque omni mutatione; vi eorum, quæ §. 18. & 19. dicta sunt.

*XXX. Quodsi verò detur tempus, inter Solsticia & æquinōctia medium, e. g. dies primus amoenissimus Maji, quæraturque quinam ex Amphiscis illo die futuri sint Ascii, & posteris diebus umbras meridianas in contraria versuri? Quæstioni ope globi simplicissimè ita satisfaciemus: In Calendario Horizontis Juliano quæritur primus Maj. dies, & è regione in Horizontis limbo intimo reperitur vigesimusgradus Tauri, cui quæsito in Eccliptica, & meridiano admoto, constabit, omnia illa loca, quæ latitudinem aut distantiam ab Æquatore habent septentrionalem, 17. grad. dato die ascia esse, & sequentibus diebus, umbras meridianas, quas hæc tenus in Septentrionem conversas habuerant, in austrum projicere incepturna esse. Et, si quis dicto gradu latitudinis in meridiano cretam acuminatam, quæ globum attingat, applicuerit, hoc circumvoluto describetur circulus visibilis, qui loca illa visui exponet. e. g. isthmum Dariēm, & australissima Jamaicæ & Hispaniolæ in Africa, Nigri*

Nigri fluminis tractum & accolas Nigritas in Africa, Regni Narsingæ Borealiora in India Orientali &c.

**XXXI.** Similiter, si scire quis desideret, quinam tercicolarum d. 20. Octob. Ascii sint futuri, umbrasq; meridianas mutaturi? Quæsito diei dato in Calendario, respondere deprehendetur septimus Scorpii gradus, quem sol illo die occupat. Hic igitur in Eccliptica Globi reperitus & Meridiano admotus, ostendet, omnia loca illa, quæ sub decimo quarto latitudinis australis jacent, solem illo die per vertices suos transeuntem habere, adeoque *āvua* esse, deinceps autem umbras meridianas, quas haec tenus in austrum protensas habuerant, in Septentrionem conversura; donec Sol à Tropico Capricorni ad eundem latitudinis gradum redierit, novamque umbrarum conversionem efficiat. Quodsi quoque distinctius videnda velit exhibere quispiam dicta loca, admota creta acuminata invento, latitudinis gradu, Globoque circumvoluto, linea circularis cretacea inter illa in America partem Peruviæ meridionalis paulò infra lineam, & Brasiliæ meditullium; in Africa tractum circa Mozambique urbem, Madagascariis item Borealissima; in India orientalem tractum maris 4. grad. circiter Javâ majori inferiorem; Insulas dos Tuberones in mari pacifico, aliaque quamplurima loca designabit.

T A N T V M

*De*

A M P H I S C I I S!

**E**orum vero, nostroque Creatori Optimo Maximo, antequam huic de illis labori coronidem imponamus

mus, devoto pectori solidas, pro assistentia sua benignissima, concessisque eosdem describendi viribus, decernimus gratias; humillima insuper ipsum veneratione, pro ulteriori studiorum felici successu & benedictione precantes, quo ista aliquando, in solius sui Nomini Augustam Gloriam, Ecclesiae emolumentum, patriae commodum, nostramq; salutem directa, sequatur felix i  
quem cum ipso præfiximus,

Scopus atque

## F I N I S.

---

### DODECAS COROLLARIORVM.

#### I.

**V**otum Jephseum fuit præcipitatum & facillime potuisse rescindi.

#### II.

**P**rostatu[m] Cœnæ, b. e. lusus hominum personatorum in Bacchanalibus, non solum abominabilis, sed & illicitus est.

#### III.

**I**llos, qui p[re]brenesi aut Melancholia quadam graviore labant, homines non esse, falsissimum est.

#### IV.

**C**ometas, aliq[ue] Phænomena cœlestia, aliquid singularis aut portenti inferre, ambiguè dicitur.

**V.**  
**H**æreticus etiam est servanda fides.

**VI.** Affe-

## VI.

*Affectus non sunt eradicandi.*

## VII.

*Judex non debet esse πεστωπλήπης.*

## VIII.

*Volenti potest fieri injuria.*

## IX.

*Animam in Statu separationis agere, intelligere, velle ac reminisci, certissimum est.*

## X.

*Unius corporis plares esse possunt umbras.*

## XI.

*Quæritur: Quoniam anni tempore conditus sit mundus?*

## XII.

*Quæritur: Num Juramentum à latrone vi extortum sit servandum? Dislinctius paulo hic respondendum esse puto. Res enim, quæ promittitur aut est turpis & illicita, ut prodere patriam; & sic nullo modo servandum est; aut non est res turpis, ut, si quis latroni promittit certam pecunie summam, & tale juramentum servandum esse statuo.*



PLaudo tuis cœptis: Age! Mellitissime frater,  
Cœlica sic pronam tendis ad astra viam.  
Pergis ad astra viam, quam olim trivere Parentes  
Nostrī; Hinc danda bono sunt pia vota  
die:

Sala Pater quot habet pisces, convexa quot ignes  
Regia fert cœli, tot tibi fausta precor.

Fratri suo natu minimo, semper dilectissimo, de  
acquirendis propediem Honoribus Philosophicis  
habendāq; Disputatione Inaugurali ita animi-  
tūs gratulatur in patria, Frater natu major

M. M I C H A E L Stemler /  
Fisci Ephoriæ Neostadiensis ad Orlam  
Præfectus ac Diaconus Ziegenrüt-  
censis.

---

Quas ego sub C E L E B R I S quondam moderamine ST V R M I  
Gaudebam in cathedra sustinuisse vices;  
Has avibus faustis nunc te quoq; lator obire;  
Omnes fers punctum, Frater amande, meum.  
Faxit Christigeni gregis optimus Arbiter, ut me  
In cathedra Sacra mox imiter Domus.

Ut affectum sum erga Fratrem fidelissimum  
& charissimum, de Amphiscis inauguraliter  
disputantem, demonstraret non fucatum,  
hæc transmittebat, gratulabundus

M. D A V I D Stemler /  
Pastor Copitiensis.

J675  
S936d  
1-SIZE

